



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris  
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

**Thomas <von Kempen>**

**Dvaci, 1625**

Quòd certis quibusdam horis vacandum sit Deo. XI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

rens est & diues in misericordia, propter hoc non deficiamus, sed cum Apostolo dicamus: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Phil. 4.

§. 11. *Quòd certis quibusdam horis vacandum sit Deo.*

Sic tempera actiones laboresque externos, ut tamen orationi, lectioni ac meditationi scripturarum vaces aliqua ex parte duci. Si potes, fiat exemplo Prophetæ in psalmo: *Vespere, & manè, & meridie narrabo, & annuntiabo, & exaudiet vocem meam.* Considera sequentes versus eiusdem psalmi, & docebunt te vacare tibi, & sperare in Domino. Nam vltimus sic concludit: *Viri sanguinum & dolesi, non dimidiabunt dies suos: ego autem sperabo in te Domine.* Nota in hoc versu, quòd carnales & animales terrena sapientes, & interiora dissimulantes, non diuidunt tempora sua, ut aliquando retractent opera sua, & sciant, quid desit eis. Sed non est talis actio bonorum, qui mensurant thalamos cordi sui hinc & inde, ne fortè in vacuum currant. Multi per multa currunt, sed vnus accipit brauium. Distrahitur sæpe mens in labore, ideo reuertatur post laborem ad vnionem sui, quia vnio ista multa vtilia docet: & hoc est, quod dicitur, *Vnus accipit brauium.* Inuenies tempus sufficiens vacandi, si nullum indulges ociositati, non solum operis, sed & sermonis & cogitationis. Beatus homo, qui in sui consideratione sæpe vigilat; ne fortè propter incuriam de tenebris ad tenebras vadat.

1. Cor. 6.

In summis negotijs etiam inuenit homo diligens tempus quo sibi vacet.

§. 12. *De custodia oris.*

Custodi etiam diligenter verba oris tui, ut dixisse aliquid postmodum non poeniteat. Qui inter multos conuersatur, maiori indiget custodia: quia ab omnibus considerari potest, cuius conuersationis fuerit. Quis ita simplex, ut non discernat, qualiter se habeat aliquis in opere & sermone? Hoc ideo replico, ut cogites, quia spectaculum facti sumus angelis & hominibus: & ut neminem habeas tam sociale, coram quo minus honestè & virtuosè te geras. Non des vnquam occasionem dissolutionis, per verba rara, vel signa vana: quia generat hæc leuitas duplex malum: in alijs exempli boni, in te etiam sancti propositi dissipatio est. Noli esse fabula hominum, ut aliquis dicat: *Hæc & hæc mihi ille recitauit, volens se excusare per te; quasi ideo accusanda leuia non sint, quia tu dixeris, qui melior putaris.* In hoc multi frequenter delinquimus, quòd nostra errata exèplis aut verbis aliorum iustificamus, tanquam nobis idcirco liceat, quia idè & alij faciunt. Credo, quòd pluribus sepe displicet, quòd citò ociosè, aut inconsideratè aliquid dixerint. Quomodo audet se homo per alterius negligentiã defendere in malo, quãdo nihil minus per hoc peccat

1. Cor. 4.

Rr 4

coram